



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

Syllabus Libri

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYLLABUS LIBRI

UT clarius contentum, undaque libri intentum percipiantis, Lectores mei, placuit rem tractatam & modum procedendi, cum motivis causis poësim scribendi hic breviter appendere. Rem tractatam seu materiam indicat titulus ipse: Symbola Trinitatis &c.

Modum procedendi observavi, quem commendat Legislator noster S. August. lib. 1. de Trinit. primo ex veteris & novi testamenti scripturis, deinde exemplis & historijs maxime sacris, denique ex rerum naturalium similitudinibus Symbola adducens.

Et quia Sanctiss. Triadis novellam gloriam labor spectat & exspectat; hinc in omnibus introducere atque exprimere trinitatem satagi. Ideoque tres partes sive divisiones principales, & ad eundem modum tres subdivisiones sunt factæ, & sic omnia alia consequenter in triade fundantur.

Si forte reprehensionem incurram, quod Poësim pro re tam venerandâ sim sectatus, utpote (ut fors quidam putant,) non sat commendabilem; contra statuere possem id, quod Aristoteles in Poëticis asserit. Poësim Sapientio rem ac præstantio rem esse historiâ. Sed pro Poësi Apologiam scribere mens non est, prout nec Poëtarum me albo inserere. Rationem autem Senecæ sum secutus inquentis: Quapropter illos præcipuè rei Grammaticæ scriptores probare soleo, qui carmine Regulas complexi, puerorum eo pacto memoriam sublevant. Carmen namque memoriæ valde conducit, dum facilius singula insidunt circum scripta & carminis modo inclusa. Ne tamen dumtaxat pueris, sed & provectoribus operam navasse videriqueam, Symbola ex omni scibili conquiesvi.

Ediverso autem Poëtices genere elegi elegos, qui olim lacry-
mabiles & flebiles in Poëtis perpetuis epithetis appellabantur;
postea tamen etiam alijs materijs servire cœperunt, ut testatur
Horatius de arte Poëticâ sic scribens:

Veribus imparibus junctis querimonia primùm,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Unde sicut modò heroicis metris in gestis Heroum decantandis,
sic in amatorijs & ijs quæ homines sollicitant, elegiacis versibus,
utpote, maximè lenibus, & minimè assurgentibus inoffensis, u-
timur. Scopus verò noster est pius quidam amor, ad quem mor-
taliùm corda sollicitamus; puta in ter adorandæ Trinitatis ma-
iorem cultum & venerationem: ad hoc namque me, ceu occultis
vinculis, atque catenis pertrahi sentio, dum titulum Directo-
ris Archiconfraternitatis Sanctiss. Trinitatis de Redemp-
tione Captivorum &c. in sacrâ nostrâ æde Mosicensi ab
anno 1650. erectæ, præmefero; ita ut titulum sine re, nomen si-
ne omine (ut aiunt) me habere, ac consequentur nefas & inadi-
gnè agere judicarem, si non in aliquo eundem cultum, mihi vi-
derer promoveri.

De eruditione, atque stylo scriptionis parum laboro, defec-
tum utriusque, intenti pietas (ringantur malevoli) facile supple-
bit. De ordine non sum sollicitus, quandoquidem S. P. N. Au-
gustinum sequi malui, quam alium, cuius doctrina etiam per-
mitti posset. Cui multiplicatio Symbolorum videbitur gravis, li-
cebit, quot volet, relinquere. Qui plura desiderabit ei integrum
erit eadem addere, nec invidus, sed libens voto eius subscribam.
Si mendum aliquod quis offendat, a quo vix ulla scripta libera-
ominino sunt, inhumanus ne sit, veniam mihi nec denegabit.